

Regnum Mortuorum.

Litterae Familiares inter Vivos et Mortuos.

Joannes Mayen Caffearius in M. ad Patrem suum in
Ehsio.

De mundo 1. *Aprilis* 1808.

Si detur diversa ab illa, quam natura cunctis indidit mortalibus, Politica. — Dilecte Pater! quanta inania scripta — quanta vana systemata! Ego considero omnem statum, omnia officia, omnemque mortalium conatum sibi vitae media comparandi, ast, quamdiu hoc durat? quomodo corruet totum, quid quid aedificatum erat, ac tunc — incidit mihi pons Passaviensis, cui inscriptum est: Totum nihil aliud est, quam transitus.

Nosti, dilecte Pater! me cavenam in M. a Te juxta omnia jura successionis aquisivisse, prout Tu eam ab Avo haereditasti. Erat illa duabus longis generationibus bonum vitae genus — certo prima in civitate nostra Oeconomia caffearia. Et nunc!

Recordor adhuc dolorosae narrationis, quam Avus noster nobis toties repetiit, quid nempe ille, dum primam Cavenam erigeret, pati, propugare, defendere debuerit. Prodiverunt tunc scriptores, ut *Caffee* contemptum reddant. Considerabant plerique ex parte Finantiae malum hoc, quod nempe pecunia, quae pro *Caffee* datur, pro Germania perditam sit, et regnum per id depauperetur. Surrexit porro contra *Caffee* usum copia Medicorum, eique multas adscripserat infirmitates; hi audacter, ac erudite demonstrarunt, per hujus potum in homine sudorem excitari, corpusque commoto sanguine debile reddi. Multi scriptores armis suis (intellige calamis) contra consurrexerunt, et quaestio illa posita: — Quasnam modernus frequens *Caffee* usus reales, et visibiles mutationes in statu oeconomico Europaeorum produxerit? Quaestionem hanc D. *Kesz* excellenter resolvit, et luce meridiana clarius demonstravit, quod hujus potus usus integras provincias pauperiores, Hollandos et Anglos ditiores, ac Germanos molles redditurus sit.

Verum omnes hae Diatribae parum, aut nihil profuerant, et *Caffee* ubique triumphavit. Avus noster magnis sumptibus erexit Cavenam, in omnibus Urbibus, imo et urba-

culis id genus domus multiplicatae sunt, et plane in vicis, et oppidis sensit odorem *Caffee*, qui maturius surrexit.

Profecto, dilecte Pater! Viri eruditi de meritis Cavenarum, de sociali vita saepius publice opiniones suas in favorem nostri declararunt. Caffearii, aiebant, mirum in modum promoverunt socialem in domibus suis vitam. Cavena est locus conventiculorum omnium Politicorum, Pseudo-politicorum, criticorum, et clamorosorum tam demesticorum, quam exterorum, immo et Cocarum, et Lotricum. Ibi omnia, ut in Coelo, erant aequalia. Qualis institutio, quamve favorabilis tum pro domesticis, cum pro exteris distractio! Cavenam potest quisquis secure, nulla praemissa insinuatione, aut praesentatione, sicut propriam domum ingredi, sibi portionem *Caffee* pro duobus crucigeris (Bone Deus! nunc octo) petere, tum semet in sermonem immittere, bene, aut stupide argumentari; (parum refert) notitias contrahere; se hyeme calefacere, Aestate ambulando fessus requiescere, conventum in cavena constituere, colloqui, et varia objecta tractare, de rebus omnis generis disserere, disputare, homines nosse discere, vagabundos observare, atque haec omnia pro exiguo pretio duorum cruciferorum, praetio (olim sic) pro quibus adhuc portionem *Caffee* obtineat, cui si addatur et illud momentosum, quod hic omnes possibilis totius Orbis ephemerides, plane ex Regno Mortuorum, legi possint; merito quaelibet Cavena verum Eldorado (Metropolis omnium possibilium mundorum optimi) dici potest.

Ast haec tempora, dilecte Pater! jam evanuerant. Eo tempore emebatur libra *Caffee* 18—20 cruciferis, unde 62 portiones coqui poterant, — quarum quaevis duos volebat cruciferos. An non erat hoc notabile, stillans quidem, sed omni die imo hora semet multiplicans lucellum? O tempora!

At hodie! in dies crescit pretium *Caffee*, fit continuo rarius, consequenter et carius, et si rite perpendam, id tandem ob defectum amplius nec haberi posse, tunc dilecte Pater! comprimitur cor. Et quis est causa horum? — Rabies monopolii Anglorum; hi erant primi Authores omnium, quae hucdum gerebantur, bellorum; nolunt in pacem ire, quia totum orbem suo monopolio subjicere volunt. Odi ego eos, sumque inimicus eorum; verum interea omnia interibunt.

Maledico tempori, quod *Caffee* in Europam induxit; si enim idem in Germania ignotum mansisset, Avus noster cavenam non extruxisset; nec Te, dilecte Pater! pro Caffeario educasset, et sic neque ego naturali Jure haereditario ad hunc statum devenissem. Mea itaque vita, est verum

Carneval in Annalibus familiae nostrae. Forsitan studuissem, e: fuissem Litteratus; forsitan miles, et modo Generalis; forsitan Officialis, et tandem dives Agricola, *vulgo Rusticus*; Status, qui mihi omnium felicissimus esse videtur.

Ita est, dilecte Pater! maledico ego *Caffee*, ad quod probandum ipsam inscriptionem in insigni domus meae mutabo, ne amplius legatur: *Ad Magnam Cavenam*, ve um ad *Magnam Jentaceam*, et *jusculaceam Domum*. Vox *Caffee*, non pulsabit amplius timpanum auris meae; Dehinc coquam Jusculum vini, aut cerevisiae, loco ma edicti, et fatalis *Caffee*, quod me infelicem reddidit, me statu meo privat, me nunc misere affligit, ac ad incitas redigit. Et si hodie, aut cras veniat Anglus ad meam magnam *Jusculicizam*, in ludibrium curabo ei *Caffee* coqui, ut omnes Hospites Jusculacei, hunc Caffeeaceum stultum tamquam raritatem (dari adhuc hominem, qui in Germania in Domo jusculari *Caffee* quaerit) pleno gutture irideant. Imo, mei domestici aeternum oblivisci debent, quomodo *Caffee* urendum, coquendumque sit. Omnia instrumenta Caffeeacea confringam, et abjiciam, et loco usitati hactenus proverbii: *Tu Diabole, tu Satanas!* dehinc sit imprecatio: *Tu Caffee amator; tu Caffee potator!* Hoc sit summarium maledictionum in lingua nostra. Apud mulieres debet esse nonnihil moderatius: *Tuoris Caffeeacei!* — Eiusdem mentis esse debent etiam alii Caffearii. — Quod Sveci Anglis adhaereant, me maxime affligit; Quid efficient? En totam eorum magnificentiam in Observatore Europeo!

Vis armata Sveciae terrestri, et maritima.

Exercitus Sveciae componitur partim ex conductis, partim ex repartitis. Priores partem exiguam efficiunt, adhibenturque pro servitiis praesidiariis, et ab Aerario stipendium trahunt. Posteriores vero per totum regnum sunt distributae, quam Constitutionem inde a Carolo XI. habent. Cuncti duces a summo, loco stipendii, certa quaedam Corporae bona, ab omni vectigali immunia accipiunt, quae vel ipsi administrant, vel exarendant. Possessores bonorum nobiles, et ignobiles tam pro statuendis, quam sustentandis militibus in decurias dividuntur. Quaevis decuria conducit militem, sub quibus conducit potest conditionibus, provide illum habitatione, domuncula stabulo provisam, constante, prato, lignis, libero pascuo, assignato frusto agri, pro seminatura unius, aut duarum metretarum, aliquid pecuniae, etc. Haec tamen sustentatio ubique aequalis non est, nam in quibusdam ditionibus amictum et arma Rex, in aliis vero haec, juxta assignatam taxam, decuria solvit.

ast ubique extra servitium, consuetum vestitum tamen procurare debet. Morosi, divisionis decuriarum ignari, certam pro hoc pecuniae summam solvunt. Circa equites similis observatur proportio. Tota Statutionis, et Sustentationis militiae proportio formali inter Coronam, ac decurias, suæst pactioni. Dantur præterea in omnibus provinciis remanentiae quaedam. Hæc in Finlandia dimidiam quamvis legionem viribus adæquant: in Svecia vis earum est diversa, nec sunt, ut in Finnia, provisæ.

Copie reparitionales non sunt rudis quaedam, verum regularis militia; quamvis enim illa quovis anno semel tantum pro exercitio, tribus fors hebdomadibus durante, conveniat, in casu tamen necessitatis est confestim mobilis. Exercitii tempore decurie milites sustentant; in Finnia autem certam pæcuniae summam solvunt, pro qua Aerialium curam copiarum, durante exercitio, gerit. — Sveciæ exercitus, demptis Prætorianis, qui dignitate Ducis habent, quive 128 viros efficiunt, constat hodie 8000 equestri, 45,000 pedestri militia, 3,000 pirobolariis, et 200 venatoribus, universim ergo 56,7000 viris, Ducibus exceptis. Horum 34,611 sunt adrepartiti, reliqui autem conducti.

Res navalis Sveciæ constat ex duabus classibus, nempe magna bellica, et tormentaria. Statio prioris est *Caroli Corona*, quæ, quamvis ultimo bello russo pene interierit, tamen 12 navibus linealibus, et 8 subsidiariis constat. Anno 1806 erant in portu duo navigia imperfecta. — Classis tormentaria constat magnis et parvis navigiis, quæ in oris insularis, et scopulosis serviunt partim ad excensionem hostis impediendam, partim ad operationes exercitus secundandas, atque latera ejus defendenda. Classis hæc juxta planum Promareschalli Generalis *Ehrensvaerd* Anno 1756 est structa, numeratque 200 naves. Dividitur in classes 5, quæ sunt ad *Sveaborgum*, *Abo*, *Holmiam*, *Göthenburgum*, et *Stralsundiam*. Minores præterea divisiones jacent *Caroli Coronæ*, et in lacu *Saimen*. — Milites maritimi, ut terrestres aut conducuntur, aut per Civitates, et certas cras statuuntur, quare a decuria liberæ sunt. Numerus conductorum militum navalium non excedit 1500; Adreparitorum autem 1200. Numerus tamen hic potest, per reservatas copias ad 14,800 augeri.